

ritatis dedit, cum bellum renovante Benadad, in eo Achab occubuit, ut dicitur cap. ult.

Symbolice Benadad est typus diaboli, qui semper fideles et sanctos persequitur, nunc vi, nunc fraude et dolo. Quare qui cum eo pacem vel fidus inii, ubi fecit Achab, certo certius ab eodem overteitur. Ita Eucherius.

34. PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO, — in quibus jus et iudices, item forum rerum venalium ac vectigalia constituit in signum subjectionis, *q. d.* Partem urbis mee regio, scilicet Damasci, tibi concedam. ut ostendam illam tibi æque ac mihi esse subjectam. imo me tibi esse subditum, ideoque pendere hoc tributum. Ita Abulensis, Cajetanus et Vatablus.

35. TUNC VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM. — Josephus censet hunc fuisse prophetam Micheam, qui cap. ult. Achab exitium prædixit, Idem tradit Glycas, et Hebraei in *Seder-Olam*, et colligitur ex cap. ultim. vers. 26, ubi pro *tolite* Hebraice est *והסכיח* *vahaschehu*, id est facite eum redire. Verum res incerta est. Unde Serarius et alii censent hunc alium fuisse a Michea, ideoque non nominari.

DIXIT AD SOCIUM SUUM IN SERMONE DOMINI (ex oraculo et jussu Dei): PERCUTE ME, — ut proprii capitis mei vulnere representem Achab regi vulnus ipsius, quod parcendo Benadad accepit in anima sua. ac vulnus populi, quod scilicet populus totus accepit in Achab rege quasi capite suo, ac tertio vulnus, quod tam Achab quam populus accipiet, cum a Benadad reparante bellum occidetur, ut patebit cap. ult. et lib. IV, cap. VI, vers. 8 et seqq. Ita Cajetanus. Addit Abulensis aliam causam hujus vulneris, scilicet ut per illud Propheta ab Achab non agnosceretur, sed videretur esse miles, itaque accessum haberet ad eum, eique parabolam hanc vulneris exponeret: si enim fuisset agnitus, nolisset eum Achab idololatra audire. Tertia et potissima causa hujus percussio- nis et vulneris fuit exemplum, ut scilicet Deus, in propheta hoc tam percussione quam percusso, daret exemplum et speculum perfectæ obedientiæ. Unde credendum est, ait Abulensis, quod paulo post deus hoc vulnus supernaturaliter curavit, ita ut ne cicatrix quidem ejus remaneret, idque ad hoc, ut ostenderet quanti meriti sit pura et simplex obedientia, quamque ex adverso Deo

exosa sit inobedientia, cum propter eam, illum qui Prophetam percutere noluerat, leoni mactandum objecerit. Audi S. Chrysostomum, orat. 4 *Contra Judæos*, sub initium: « Qui percussit Prophetam, evasit incolumis: qui percutit, dedit penas; nimirum ut intelligeres in peccatis divinis non oportere curio-um esse, examinareque rerum que precipiuntur naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter: Percute me, sed addidit: In verbo Domini, hoc est, Deus præcipit, ne quere ulterius. Rex est qui hæc præscribit legem: Reverere jubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque penas dedit gravissimas, suoque exemplo secutores adhortans, ut quidquid præcepit Deus, per omnia obtemperarent, moremque gererent in posterum. »

Denique R. Salomon et Lyranus volunt Prophetæ hujus sanguinem pro populi Israelitici peccatis satisfecisse, ne cum Achabo periret cap. ult., sed populus ille victus est, et pro eo satisfacere istiusmodi plaga non potuit, nec voluit Prophetæ.

42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE, — Benadad regem Syriæ, qui reus erat mortis tum ob continuum odium et bellum contra Israelitas, tum præcipue ob blasphemiam, qua dixit me esse Deum montium, non vallium; hæc enim valde Deum irritavit, ut patet vers. 28. Ita Hebraei, Rupertus, Lyranus, Dionysius et alii.

ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA EJUS. — Occideris pro Benadad quem occidere debuisti.

ET POPULUS TUUS PRO POPULO EJUS, — occidetur pro Syris Benadad subjectis, quos occidere debuit. Ita reipsa contigit, ut audierim capite ultimo.

Est hoc exemplum neglectæ justitiæ justæque vindictæ notandum, alleque infingendum meritis regum et iudicum: « homicida es, eo quod hostem dimiseris, » ait S. Chrysostomus, loco citato.

43. REVERSUS EST Igitur REX ISRAEL (Achab) IN DOMINIUM SUAM, AUDIRE CONTENTENS. — Addit Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. VIII, eum adeo indignationem ut Prophetam incarcerationi: fuisse enim Micheam existimat; quem ab eo incarcerationum audierim, cap. ult. Ita Hugo, Dionysius et alii.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab petit vineam a Naboth; ille negat: unde Jezabel eum per falsos testes quasi blasphemum lapidari curat, agrumque ejus Achabo tradit. Quocirca, vers. 17, mittit Deus Eliam, qui Achab et Jezabeli exitium denuntiet, quodque canes lingent sanguinem eorum in agro Naboth. Quo audito, pavit Achab, vers. 27: quare Deus ab eo in filium penam contrainatam transfert.

1. Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelita, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samaritæ. 2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum oleorum, quia vicina est, et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem; aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. 3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. 4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem et non comedit panem. 5. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? 6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelita; et dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia; aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel. Surge, et comedere panem, et æquo animo esto; ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelita. 8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab; et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et optimates qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi, 10. et submitte duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant: Benedixit Deum et regem: et educite eum, et lapidate, sicque moriatur. 11. Fecerunt ergo cives ejus majores natu et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos: 12. prædicaverunt jejunium et sedere fecerunt Naboth inter primos populi. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum; at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum et regem; quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. 14. Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth et mortuus est. 15. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, et mortuum, locuta est ad Achab: Surge, et posside vineam Naboth Jezrahelita, qui noluit tibi acquiescere et dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. 16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezrahelita, ut possideret eam. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: 18. Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam; 19. et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, in super et possessisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: in loco hoc, in quo linerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. 21. Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriora tua, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum in Israel. 22. Et

dabo domum tuam sicut domum Jeroboam filii Nabath, et sicut domum Baasa filii Ahia : quia egisti, ut me ad iracundiam provocares, et peccare fecisti Israel. 23. Scit e de Jezabel locutus est Dominus, dicens : Canes comedent Jezabel in agro Jezabel. 24. Si mortuus fuerit Achab in civitate, comedent enim canes : si autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli. 25. Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est; ut faceret malum in conspectu Domini : concitavit enim eum Jezabel uxor sua, 26. et abominabilis factus est, in tantum ut sequeretur idola, quæ fecerant Amorrhæi, quos consumpsit Dominus a facie filiorum Israel. 27. Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, et operuit cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. 28. Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens : 29. Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus.

Vers. 1. 4. VINEA ERAT NABOTH. — « Naboth » hic fuit vir probus, ut patet ex sequentibus. Unde Naboth Hebraice idem est quod *propheta*, vel *loquax fructus*, ait ex Hieronymo Pagninus. Vineam ejus, quia sibi vicinam, concepit Achab : inexplēbilis enim est divitum avaritia et cupiditas; qua de re in hoc caput insignem tractatum scripsit S. Ambrosius de Naboth, sive de Naboth, in quo acriter perstringit divites avaros et rapaces, qualis erat Achab; unde cap. II : « O dives, ait, necis quam pauper sis, quam inops tibi ipsi videaris, qui te divitem dicis! quanto plus habueris, plus requiris; et quamquam acquisieris, tamen tibi adhuc indiges. Inflammatur lupo avaritia, non restingitur. Quasi gradus quosdam cupiditas habet, quo plures ascenderit, eo ad altiora festinat, unde sit gravior ruina lapsuro. » Et post nonnulla : « Denique docet nos Scriptura divina quam misere egeat, mendicet abjecte. Rex Achab in Israel erat, et pauper Naboth. Ille regni opibus affuebat, iste angustis soli cespite possidebat : nihil pauper de possessionibus divitis concepit, rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus. Quis igitur tibi pauper videtur? qui contentus est suo, an qui concepit alienum? Alter certe pauper censu videtur, alter est pauper affectu. »

Vers. 2. 2. DA MIHI VINEAM TUAM. — Hæc verba urget egregie S. Ambrosius, cap. II jam dicto : « Quæ, inquit, vox alia est sibi publice postulantis, nisi : Da mihi, hoc est : Da mihi, quia ego? da mihi, quia aliud vivendi subsidium habere non possum; da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia; da mihi, quia tibi Dominus dedit unde largiri debeas, mihi non dedit; da mihi; nisi tu dederis, habere non potero; da mihi, quia scriptum est : Date elemosynam. Hæc quam abjecta, quam vilia. »

Vers. 3. 3. UT FACIAM MIHI HORTUM OLERUM. — Notat S. Ambrosius, cap. III, regis avari impudentiam. « Hæc erat igitur, inquit, omnis insania, hic omnis furor, ut spatium vilibus oleribus quereretur. Non tam ergo ipsi capitis quasi utile possidere, sed alios vultus excludere. Major vobis cura de pau-

perum spoliis, quam de vestris emolumentis. Injuriam vestram putatis, si quid pauper habeat, quod dignum possessione divitis aestimetur. Damnum vestrum creditis, quidquid alienum est. »

PROFITUS SIT MIHI DOMINUS. — Hebraice, *prohibeat Dominus*, id est absit; Septuaginta, *non mihi fiat a Domino*; Chaldaeus, *absit mihi a Domino*.

NE DEM HEREDITATEM PATRUM MEORUM TIBI. — *g. d.* Hereditas a parentibus consignata mihi conservanda est, non tam tu mea, quam ut eorum hereditas : hanc enim memoriam et reverentiam filius debet parentibus, ut eorum bona tectur, et ad posterum transmittat. Porro idem S. Ambrosius, cap. III jam citato : « Quasi contagione quamdam, inquit, sui, pecunia esse divitis arbitratur; quasi dicat : Pecunia tua tecum sit in perditionem; ego autem hereditatem patrum meorum non possunt vendere. »

Tropologicæ, vinea est anima, quæ est tota hereditas nostra; quare cave ne eam vili pretio voluptatis, vel honoris vendas diabolo, morti et gehennæ. Unde S. Ambrosius, *Exhort. ad Virgines*, per vineam accipit virginatam, per Jezabel concupiscentiam, per Naboth Christum; « Vineam, inquit, quidam fructus virginatis est; conjugia velut olerum plantaria sunt, in quibus frequens zelus est; et ideo olera herbarum cito cadunt atque marcescunt, nisi finem imponat sectus, aut ad perfectum velat continentia. Non veniat ergo in vos Achab, qui concupiscit vineam vestram delere et exstinguere : nec veniat in vos Jezabel vanum illud et seculare profuvium; hoc enim significatur vocabulo vana et vacua redundantia, sed veniat Naboth, qui venit a Patre, sicut indicat nominis ipsius interpretatio, qui vineam sanguine defendat suo, et pro ea mortem offerat. Hic est qui lapidatus pro nobis est, pro nobis mortuus, pro nobis falsis appetitus testimoniis. »

4. ET NON COMEDIT PANEM, — ex ira et tristitia, **Vers. 4.** quod Naboth ejus cupiditati restitisset, atque eum quasi contempsisset. Audi S. Ambrosium, cap. VI : « Non manducavit panem suum, quoniam quærebatur alienum. Etenim divites magis alienum pa-

nem quam suum manducant qui rapti vivunt, et rapinis sumptum exercent suum. Aut certe non manducavit panem suum, volens se morte mulcare, quod et aliquid negaretur. » Et eleganter, cap. VI : « Ditem, inquit, dicunt Gentiles inferorum præsulum, artemum mortis. Ditem appellant et divitem, quod nisi mortem dives inferre non noverit, cui regnum de mortuis, cui sedes inferi sint. Quid est enim dives, nisi quidam inexplēbilis gurgis divitarum, inexplēbilis auri fames? Quo plus hauerit, plus inardescit. » Et nonnullis interjectis : « Dulcis enim somnus servi, etsi modicum vel multum edat; at satiato divitis non est, qui eum sicut dormire : excitat eum cupiditas, exagitat cura pervigil aliena rapiendi, torquet invidia, mora vexat, sterilitas proventuum infanda perturbat, sollicitat abundantia. »

Vers. 7. 7. DIXIT ERGO AD EUM JEZABEL UXOR EJUS. — Impio marito Jezabel fuit impientior, avaro avarior, crudeli crudelior, rapace rapacior, cupido cupidior. Unde S. Ambrosius, cap. IX, docet Jezabel esse tyrum avaritiae, quæ divitibus promittit contra justitiam possessionem, quam desiderant. Ipsa enim Achab et Israeli fuit fax et incentrix idololatricæ et malorum omnium quasi furia quedam inferni, ut patet vers. 25.

Vers. 9. 9. PREDICATE (INDICATE) JEJUNIUM. — ut sceleri (puta cœdi injuste Naboth) pretextatis speciem pietatis et zeli dei; jubet enim Jezabel indicere jejunium, ut per illud quasi per publicam populæ penitentiam expiatur blasphemiam Naboth. Quam illi falso impingi curabat. Blasphemiam enim erat Hebraeis horrenda; unde, ea audita, vestes scindebant, atque publici doloris et detestationis rei tam indigne signa edebant.

Vers. 10. 10. BENEDIXIT (NABOTH) DEUM ET REGEM. — « Benedixit, » id est maledixit. Est euphonismus per antiphrasin; quia enim blasphemiam res est adeo horrenda; hinc eam Judæi non nominare quidem audebant, sed eam significabant per contrarium, puta per benedictionem et laudem : ita S. Hieronymus, epist. 34 ad Julianum.

Vers. 13. 13. ET LAPIDIBUS INTERFERENT. — Blasphemus enim lapidibus obruendus erat ex lege Levit. XXIV, 16. Additur IV Reg. IX, 20, filios Naboth quoque fuisse interfectos, ut sic vineam ærum ab his ad Achab transiret, quæ, deficiente herede, hæres foret rex.

Simili modo Eudoxia uxor Arcadii Imperatoris, ambiens vineam Callitropes viduæ, S. Chrysostomum, qui viduæ causam agebat, in exilium egit, et per mille ærumnas itinerum, famis, sitis, militum eum vexantium, etc., ad mortem adegit; ut vere S. Chrysostomus non tantum sit Confessor, sed et Martyr; utpote pro justitia injuste occisus, non una morte, sed centum.

Allegoricæ, Naboth fuit typos Christi, qui a Scribis et Phariseis ambientibus ejus vineam, id est Synagogam, per falsas testes accusatus blasphemie, quod se diceret filium Dei, ideoque occisus

est juxta parabolam vineæ, quam hæ ipsa de re eis objecit Christum, *Matth. XXI, 23*. Scribarum enim de Christo vox est vers. 38 : « Hic est hæres; venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus. » Hinc et canes, id est Gentiles (hos enim Judæi despiciunt quasi canes) Romani, duce Tito et Vespasiano, linxerunt sanguinem Judeorum Christianidarum, in eodem loco, puta Jerusalem et in eodem tempore, scilicet in Paschate, quo ipsi occiderant Christum. Ita Angelorum.

13. SURGE, ET POSSIDE. — Hebraice *וַיִּשָׁרָע*; id est *heredita*, scilicet titulo confiscationis; quia Naboth accusatus erat criminis læsæ majestatis tam divinæ, quam regis, ideoque condemnatus. Quare vinea ejus a Jezabele fisco regis Achab fuit adiecta.

19. OCCIDISTI, INSUPER ET POSSEDISTI. — Occidisti *Vers. 19.* Naboth, ut ejus vineam invaderes et possideres, itaque inique cœdi iniquam possessionem addidisti : quare lege talionis tu pariter occideris, et vineam omniaque amittes, tamque possessione, quam vita privaberis.

IN LOCO HOC, IN QUO LINXERUNT CANES SANGUINEM NABOTH, LAURENT QUOCUR TUUM. — Id ita reipsa per congruam justitiamque Dei vindictam contigisse narratur, cap. XXII, vers. 38. Dices : Ibi dicitur quod canes linxerunt sanguinem Achab in Samaria, ut vero Naboth sanguinem canes linxerunt in Jezabel, ubi occisus est. Respondeo Jezabel pertinuisse ad Samariam, quæ erat metropolis et caput totius regni Israel. Idem ergo locus hic intelligendus est in genere, non in individuo. Ita Abulensis, Lyranus, Vatablus. Aliter respondent Hebraei, scilicet arma Achab sanguine ejus tincta abluta fuisse in piscina Jezabel, cum eo ad armamentarium deferrentur : quare tunc canes sanguinem ejus ablutum linxerunt, sed id confutat Abulensis, ex eo quod cap. XXXI, vers. 38, propheta hæc impleta dicatur, cum ejus sanguinem linxerunt canes in Samaria, pro qua perperam Josephus substituit Jezabel. Posset quoque dici Deum mitigasse et revocasse hanc penam ob penitentiam Achab, uti insinuat vers. 29.

Denique planius et plenius Sallanus et Sanchez censent id impletum in Joram filio Achab : hic enim occisus est in agro Jezabel, sanguinem enim sepe significat filios; hi enim ex Joram procreantur gignuntur; unde illud Anclæus de Julio Cesare :

Proice tela manu, sanguis meus,

hoc est, o fili mi Jule, *Æneid. lib. VI*. Idipsum probatur tum ex vers. 29, ubi Deus mitigans penam hanc Achabo intentatam ob ejus penitentiam, ait se illam ab Achab translaturum in ejus filium Joram, tum ex lib. IV Reg., cap. IX, vers. 25 et 26, ubi occiso Joram jussit Jehu ejus cadaver projici in agrum Naboth lingendum et vorandum canibus, ut hæc de eo Dei propheta impleteret.

Sic Aristobulus primus e Machabeis Judeorum rex occidit fratrem Antigonum, sed justo Dei iudicio doloribus excruciatu vomuit sanguinem, qui eodem loci effusus est, quo ipse fratris sanguinem effuderat. Unde ipse ingemiscens exclamavit, ait Josephus, lib. XIII *Antiq.* xix: « Ergo non latet Deum, inquit, meum impium et sceleratum facinus, quando tam cito reposer ad penas cognati sanguinis. O corpus impudens, quousque retinebis animam, quam materni simul ac fraterni manes flagitant? cur non semel eam reddis, ne sic per partes opus sit libare meum sanguinem, atque ita parentare oppressis per nefas et parricidium? Vix ea fatus erat, cum exhalavit animam uno tantum anno in regno exacto. »

20. EO QUOD VENUDATUS SIS, UT FACERES MALUM. — « Venudatus, » quasi servus addictus peccato. Unde Cajetanus: « venudatus, » inquit, id est traditus peccato; nam quod venditur, traditur ementi quasi Domino, *g. d. Tu, o Achab, tua mala voluntate totus addictus es peccato, quasi ad nihil aliud venditus vel locatus sis quam ad peccandum.* Alludit ad servos, qui ad certa opera se elocant, hisque totos se addicunt: sic enim Achab seipsum addixerat non tantum idolis, sed et suae Jezabeli, ut quasi servus ab ea ageretur ad omne scelus; ita Abulensis. Sensus ergo est, *g. d. Tu, o Achab, revera non es rex nec Israelita, id est liber, et ingenue conditionis, sed mancipium Baal et Jezabelis; quia is te totum addixisti et mancipasti, ut eis per omnia obsequaris, ac facias quicquid ipsi volunt.* Causa fuit, quod Ithobaal rex Tyri et pater Jezabelis, ideoque socer Achab, esset sacerdos Astharis, ut ait Josephus, lib. I *Contra Apionem*, ac nomine suo profiteretur cultum Baal: ideo enim dictus est *Ithobaal*, vel, ut Noster verit, cap. xvi, vers. 31, *Ethbaal*. Hic ergo pater Baali et Astarthae addictissimus, imo consecratus sacerdos, suam impietatem et idololatriam transfudit in filiam suam Jezabel, et in maritum ejus Achab; unde Josephus, lib. IX, cap. vii: « Baal, ait, Tyriorum deus erat quem Achabus in gratiam Ithobalis Tyriorum et Sidoniorum regis, soceri sui coluit, templo ei Samariae dedicato, et prophetis cum reliquo cultu assignatis. »

Intuere hic et admirare libertatem Eliae, qui Achab regem in faciem objurgat, eique objectat quod sit peccati mancipium, adeoque extremam perniciem denuntiat. Sic S. Athanasius, S. Hilarius et Lucifer Calaritanus acriter objurgant Constantinum Imperatorem Arianum, eumque vocant herodem, Neroneum et Antichristum. Eorum verba recitavi *Apocal.* cap. xi, vers. 3.

Tropologie, vide hic quam vilis, miser et infelix sit peccator, qui instar Achab ob modicam voluptatem, imo ob unum aureum, vendit se suaeque animarum diabolo, eamque ut mancipium tradit suae cupiditati, ut fiat pabulum mortis et fontem gehennae.

21. DEMETAM POSTERIORA TUA, — id est, posteriorem tuam funditus excindam.

29. SCIPIT VESTIMENTA SUA. — Videtur haec Achab penitentia fuisse ex metu poenae, non ex amore justitiae, ideoque servilis, imperfecta et extorta; unde non videtur Deus ei condonasse culpam, sed poenam tantum distulit, eamque ab eo in filium transtulit, ut dicitur vers. 29. Ita Lyranus, Dionysius, Cajetanus, imo S. Gregorius, hom. 49 in *Ezechiel.*: « In quibus verbis, ait, pensandum est quomodo ei in electis suis meror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum, si sic ei et reprobi penitentia placuit, quia timebat perdere praesens saeculum; aut quomodo eis grata sit spontanea afflictio pro culpis in eis qui placent, si haec ad tempus placuit et in eis qui displicebant. »

Veram tamen et seriam fuisse hoc tempore Achab penitentiam censent Abulensis, Hugo, Vatablus, Sanchez, Serarius, imo S. Chrysostomus, epist. ad *Theodorum (Mopsuestenum)* lapsus, ubi ait: « Achab, perturbatus ipsius sceleris immunitate, poenituit, et cilicio circumdatus facinus suum flevit, atque ita erga se Domini misericordiam provocavit, ut a cunctis eum absolverit peccatis. Sic enim ait Deus ad Eliam: Vidisti quomodo compunctus est Achab a facie mea, quia flevit in conspectu meo, non inducam mala in diebus ejus. »

Sic quoque S. Ambrosius, lib. *De Nabuthe*, cap. xvii, ac Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, cap. x. Quae sententia pariter probabilis est, eamque insinuat id quod Deus ait ad Eliam, vers. 29: « Nonne vidisti humiliatum Achab? » etc. Nec obstat quod Achab post poenitentiam mox ad pristina scelera redierit. Erat enim homo levissimus, ait Theodoretus, et totus a sua Jezabele agebatur. Sic enim hodie multi vere poenitent, sed mox data occasione, in sua solita peccata relabuntur.

Utramque sententiam conciliet, dicendo poenitentiam Achab fuisse veram attritionem, ac non assurrexisse ad contritionem charitatis formatam. Serio enim de peccatis doluit ob imminentes sibi clades ab Elia intentatas; ac non doluit de his amore Dei, quod scilicet eum, qui est summum bonum, offendisset. Quare poenitentia, ac culpam non delevit, nec justificatus est: quae sententia videtur verissima et sancte Scripturae summe consentanea. Quare perperam Calvinus censet hanc Achab poenitentiam fuisse factam.

29. QUIA IGTUR HUMILIATUS EST MEI CAUSA (scilicet mei non tam amore, quam metu et timore; unde et temporalem tantum veniam et praemium ei rependo, scilicet), NON INDUCAM MALUM IN DIEBUS EJUS, SED IN DIEBUS FILII SUI. — Quare jure exclamat S. Hieronymus, epist. 30 ad *Oceanum*: « Confelix poenitentia, quae ad se Dei traxit oculos; quae furentem Dei sententiam confesso errore mutavit! » Loquitur autem de poenitentia Achab.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab regi cuncti ad bellum pseudoprophetae praedicunt victoriam, Michaeas vero propheta exitum. Quare in praetio Achab sagitta transfusus occumbit, canesque lingunt sanguinem ejus. Moa, vers. 41; describuntur gesta Josaphat regis Juda, ejusque classis missa in Ophir. Denique et morienti, vers. 51, succedit filius Joram, Achab vero succedit filius Ochozias.

1. Transierunt igitur tres anni absque bello inter Syriam et Israel. 2. In anno autem tertio, descendit Josaphat rex Juda ad regem Israel. 3. Dixitque rex Israel ad servos suos: Ignoratis quod nostra sit Ramoth Galaad, et negligimus tollere eam de manu regis Syriae; 4. et ait ad Josaphat: Veniesne mecum ad praelandum in Ramoth Galaad? 5. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Sicut ego sum, ita et tu; populus meus, et populus tuus, unum sunt: et equites mei, equites tui. Dixitque Josaphat ad regem Israel: Quare, oro te, hodie sermonem Domini. 6. Congregavit ergo rex Israel prophetas, quadringentos circiter viros, et ait ad eos: Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt: Ascende, et dabit eam Dominus in manu regis. 7. Dixit autem Josaphat: Non est hic propheta Domini quispiam, ut interrogemus per eum? 8. Et ait rex Israel ad Josaphat: Remansit vir unus, per quem possumus interrogare Dominum; sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, Michaeas filius Jemla. Cui Josaphat ait: Ne loquaris ita, rex. 9. Vocavit ergo rex Israel eunuchum quemdam, et dixit ei: Festina adducere Michaeam filium Jemla. 10. Rex autem Israel, et Josaphat rex Juda, sedebant unusquisque in solo suo, vestiti cultu regio, in area juxta ostium portae Samariae, et universi prophetae prophetabant in conspectu eorum. 11. Fecit quoque sibi Sedecias filius Chanaana cornu ferrea, et ait: Haec dicit Dominus: His ventilabis Syriam, donec deleas eam. 12. Omnesque prophetae similiter prophetabant, dicentes: Ascende in Ramoth Galaad, et vade prospere, et tradet Dominus in manus regis. 13. Nuntius vero, qui ierat ut vocaret Michaeam, locutus est ad eum, dicens: Ecce, sermo prophetarum ore uno regi bona praedicant; sit ergo sermo tuus similis eorum, et loquere bona. 14. Cui Michaeas ait: Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus, hoc loquar. 15. Venit itaque ad regem, et ait illi rex: Michaeas, ire debemus in Ramoth Galaad ad praelandum, an cessare? Cui ille respondit: Ascende, et vade prospere, et tradet eam Dominus in manus regis. 16. Dixit autem rex ad eum: Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Domini. 17. Et ille ait: Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oves non habentes pastorem, et ait Dominus: Non habent isti dominum; revertatur unusquisque in domum suam in pace. 18. Dixit ergo rex Israel ad Josaphat: Numquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, sed semper malum? 19. Ille vero addens, ait: Propterea audi sermonem Domini: Vidi Dominum sedentem super solum suum, et omnem exercitum caeli assistentem ei a dextris et a sinistris; 20. et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel, ut ascendat, et cadat in Ramoth Galaad? Et dixit unus verba hujuscemodi, et alius aliter. 21. Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? 22. Et ille ait: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies et praevalebis; egredere, et fac ita. 23. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacium in ore omnium prophetarum tuorum, qui hic sunt, et Dominus locutus est contra te et malum. 24. Accessit autem Sedecias filius Chanaana, et percussit Michaeam in maxillam, et dixit: Mene ergo

dimisit Spiritus Domini, et locutus est tibi? 25. Et ait Michæas: Visurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum ut abscondaris. 26. Et ait rex Israel: Tollite Michæam, et maneat apud Amon principem civitatis, et apud Joas filium Amelech. 27. Et dicite eis: Hæc dicit rex: Mittite virum istum in carcerem, et sustentate eum pane tribulationis, et aqua angustie, donec revertar in pace. 28. Dixitque Michæas: Si reversus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait: Audite, populi omnes. 29. Ascendit itaque rex Israel, et Josaphat rex Juda, in Ramoth Galaad. 30. Dixit itaque rex Israel ad Josaphat: Sume arma, et ingredere prælium, et induere vestibus tuis; porro rex Israel mutavit habitum suum, et ingressus est bellum. 31. Rex autem Syriæ præceperat principibus currum triginta duobus, dicens: Non pugnabitis contra minorem et majorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. 32. Cum ergo vidissent principes currum Josaphat, suspicati sunt quod ipse esset rex Israel, et impetu facto pugnabant contra eum, et exclamavit Josaphat. 33. Intellexeruntque principes currum quod non esset rex Israel, et cessaverunt ab eo. 34. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, et casu percussit regem Israel inter pulmone et stomachum. At ille dixit aurigæ suo: Verte manum tuam, et eijce me de exercitu, quia graviter vulneratus sum. 35. Commissum est ergo prælium in die illa, et rex Israel stabat in curru suo contra Syros, et mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plægæ in sinum curru, 36. et præco iasonuit in universo exercitu antequam sol occumberet, dicens: Unusquisque revertatur in civitatem, et in terram suam. 37. Mortuus est autem rex, et perlatus est in Samariam: sepelieruntque regem in Samaria, 38. et laverunt currum ejus in piscina Samaria, et linxerunt canes sanguinem ejus, et habenas laverunt, juxta verbum Domini, quod locutus fuerat. 39. Reliqua autem sermonum Achab, et universa quæ fecit et domus eburnea quam ædificavit, cunctarumque urbium quas extruxit, nonne hæc scripta sunt in Libro sermonum dierum regum Israel? 40. Dormivit ergo Achab cum patribus suis, et regnavit Ochozias filius ejus pro eo. 41. Josaphat vero filius Asa regnare cœperat super Judam anno quarto Achab regis Israel. 42. Triginta quinque annorum erat cum regnare cœpisset, et viginti quinque annis regnavit in Jerusalem: nomen matris ejus Azuba filia Sahai. 43. Et ambulavit in omni via Asa patris sui, et non declinavit ex ea: fecitque quod rectum erat in conspectu Domini. 44. Verumtamen excelsa non abstulit: adhuc enim populus sacrificabat, et adolebat incensum in excelsis. 45. Pacemque habuit Josaphat cum rege Israel. 46. Reliqua autem verborum Josaphat, et opera ejus, quæ gessit, et prælia, nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Juda? 47. Sed et reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa patris ejus, abstulit de terra. 48. Nec erat tunc rex constitutus in Edom. 49. Rex vero Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum; et ire non potuerunt, quia contractæ sunt in Asiongaber. 50. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Josaphat: Vadant servi mei cum servis tuis in navibus. Et noluit Josaphat. 51. Dormivitque Josaphat cum patribus suis, et sepultus est cum eis in Civitate David patris sui: regnavitque Joram filius ejus pro eo. 52. Ochozias autem filius Achab regnare cœperat super Israel, in Samaria, anno septimo decimo Josaphat regis Juda, regnavitque super Israel duobus annis. 53. Et fecit malum in conspectu Domini, et ambulavit in via patris sui et matris suæ, et in via Jeroboam filii Nabat, qui peccare feci Israel. 54. Servivit quoque Baal, et adoravit eum, et irritavit Dominum Deum Israel, juxta omnia quæ fecerat pater ejus.

Ver. 3. 3. DIXITQUE JOSAPHAT AD REGEM ISRAEL: SICUT EGO SUM, ITA ET TU. — Hebraice, *Sicut ego, sicut tu, hoc est, ego sum, sicut tu, et tu es sicut ego.* Hebraei enim in comparatione repetunt *si sicut*, vel *ita*. Sensus ergo est, *q. d.* Quod tu facturus es, faciam et ego: si tu eas in bellum contra Syros,

libo et ego; omnia erunt nobis communia, et communis quoque erit belli alea et periculum. Causa datur II Paralip. xviii, 1, quod Josaphat erat regi Achab affinitate conjunctus; nam Athaliah filiam Achab dederat filio suo Joram uxorem, ideoque ipse Achabum hic invisit, et cum eo ivit ad bel-

lum Qua in re peccavit prebendo auxilium, et amicitiam fovendo cum impio Achab, ideoque pene in prælio fuit occisus, ut dicitur vers. 32. Hinc et revertens a bello, obvium habuit Jehu prophetam, qui eum graviter increpuit dicendo: « Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris; et ideo iram quidem Domini merebaris; sed bona opera inventa sunt in te, » etc. Ubi vides quam Deo displicant conubia et fœdera cum impiis, quamque eadem toti regno sint periculosa. Nam impia Athalia exstinxit omne semen regum, id est omnes suos ex Joram filios et nepotes, unico Joas excepto et abscondito, ut ipsa sola regnaret, IV Reg. xi, vers. 1. Eadem de causa, naves quas misit Josaphat cum navibus Ochozias filii Achab in Tharsis contractæ sunt, ut dicitur II Paralip. xx, 37. Ibi enim Eleazar propheta ad Josaphat dixit: « Quia habuisti fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua, contriteque sunt naves, nec potuerunt ire in Tharsis. » E contrario Deus benedicit et prosperat conubia et fœdera cum probis et sanctis, ac sancti suam sanctitatem et felicitatem suis conjugibus et fœderatis aspirant, ut aspiravit Abraham Helthæis, Genes. xxiii, 6, Jacob Labano, Genes. xxx, 27, Joseph Putiphari, Genes. xxxix, 3, Moses Hebraeis quos ex Ægypti servitute eduxit, Exodi xii, Samuel Davidi, David Sauli, etc. Hoc est quod sanxit Apostolus, II Corinth. vi, 14, dicens: « Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quis enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidei cum infideli? quis autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei vivi. »

5. QUERE, etc., SERMONEM DOMINI. — oraculum a Deo per prophetam aliquem, an felix sit futurus belli eventus, an infelix: si enim sit felix, ibimus ad illud; sin infelix, domum redibimus.

6. CONGREGAVIT ERGO REX ISRAEL (Achab) PROPHETAS QUADRINGENTOS, — non Dei, sed Baal sive demonis, ideoque pseudoprophetas, idololatriæ et hæreticos. Hinc Lucifer Calaritanus, lib. I De Apostat. Regibus, notat principes hæreticos suis adherere pseudoprophetas, id est prædicantibus hæreticis, ac veros Dei Prophetas despiciere, imo persequi et occidere, ut fecere Constantius, Valens, Julianus et alii, qui proinde a suis Ariani seducti misere perierunt.

ASCENDE, ET DABIT EAM DOMINUS IN MANU REGIS, — patris tuam, o Achab. Diabolus ab his pseudoprophetis per angaria et sortilegia eis consueta consultus de belli eventu, victoriam promittit, sed mandatur. Quare ipse decipit prophetas, et hi decipiunt Achab, eunne nimis sibi credentem in conspectum oculis quasi murem inducent.

7. DIXIT AUTEM JOSAPHAT: NON EST HIC PROPHETA DOMINI QUISPIAM, UT INTERROGEMUS PER EUM? — Josaphat erat veri Dei cultor; quare displicuit ei, quod Achab prophetas Baal, ipsamque Baal, hoc

est, demonem consultisset, hæc eis ut ipse mendacibus credidit. Petiti ergo quæri verum veri Dei Prophetam ejusque oraculum sciscitari et sequi.

8. MICHAAS. — Est hic alius et diversus a Michæa, Ver. 8. qui inter minores Prophetas numeratur sextus, imo hic cum præcessit 150 annis; hic enim propheta sub Josaphat et Achab, ille vero sub Joatham et Achaz: hic in Israel, ille in Juda.

13. ASCENDE, ET VADE PROSPERE, ET TRAHET EAM DOMINUS IN MANUS REGIS. — Primo Cajetanus censet Michæam id dixisse antequam a Deo oraculum accepisset, ideoque aliis prophetis assensum fuisse, errasse, et falsum prædixisse; at mox ad juratum a rege. a Deo illustratum, verum oraculum de regis nece a Deo accepisse et pronuntiasse.

Secundo, Dionysius ait hæc responsonem esse ambiguum, tamque de Benadad rege Syriæ, hoste regis Achab, quam de ipso Achab accipi posse. Sic enim demon consultus ambigue respondendo fefellit Cresum, dicens:

Cresus Halym penetrans, magnam desperet opum vim.

Et Pyrrhum, dicens, teste Eanio:

Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

Vide Cleonem, lib. II De Ditiâ.

Tertio, Theodoretus et Lyranus censent Michæam hic nil asserere, sed ut ostendat se non odisse regem Achab, ut ipse putabat, optare illi duntaxat prosperum belli successum, ut tradet idem sit quod, *opto ut tradat.*

Quarto et genuine, Michæas hic loquitur ironice, q. d. Quandoquidem, o Achab, propheta tui tibi victoriam spondet, tuque eis credis, vade ad prælium; illi enim dicunt te victorem redditurum. Experte ergo coram oraculum, quia mihi meoque non credis. Ego enim scio te in prælio periturum; sed illud nolo tibi edicere, quia tu indignus es qui audias a Deo veritatem, cum mendaciam Baalem consulas, ejusque oracula mendacia audire malis, quam mea ex Deo vero verissima. Ita Abulensis, Vatablus, Sanchez, Serarius.

16. ITERUM ATQUE ITERUM ADJURO TE. — Videbat rex ex vultu, gustu et modo dicendi Michæam non serio, sed figurate et ironice loqui. Adjurat ergo eum, ut non nisi veritatem verumque oraculum serio ex animi sui sensu deponat.

17. VIDI CUNCTUM ISRAEL DISPERSUM IN MONTIBUS, QUASI OVES NON HABENTES PASTOREM. — Prædicit Michæas Israelis fugam et mortem regis Achab, eumque occidendum in prælio, q. d. Pastor, id est rex occidetur; quare ejus subditi et milites, quasi oves sine pastore a prælio montis Samariæ diffugient.

19. VIDI DOMINUM SEDENTEM SUPER SOLIUM, ET OMNEM EXERCITUM Cœli ASSISTENTEM EI A DEXTRIS ET A SINISTRIS. — A dextris erant Angeli, a sinistris diaboli; unde inde exiit is qui dixit vers. 22: a Egrediar, et ero spiritus mendax, in ore omnium Prophetarum ejus. » Sic Job 1: a Cum

fili Dei (Angeli) assisterent coram Domino, affuit inter eos et Satan. » Ubi S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. xvi, citans hanc Michæ visionem: « A dextera ergo Dei, inquit, et sinistra Angelorum exercitus stat, quia et voluntas electorum spirituum divinæ pietati concordat, et reproborum sensus suæ malitiæ serviens iudicio districtiōnis ejus obtemperat. »

Nota hanc visionem Michæ non fuisse rem veram vereque gestam, sed imaginariam: Deus enim in imaginatione Michæ pingebat hanc speciem et formam concilii, ut videretur sibi videre Deum cum Angelis et demonibus consultantem de modo decipiendi regem Achab. Nec enim vere Deus concilium cum Angelis, multo minus cum demonibus celebrat, neque cum eis consultat, utpote qui acutissimo omnes modos rei conficiende, quique sint futuri efficaces et habituri effectum, qui non. « Quis enim consiliarius ejus fuit? » *Roman.* xi, 34. Idem patet ex Angelorum dissensione et ignorantia, qua hic tacite inducitur, cum eorum omnium sententiis demonis consilium praeferat, versu 22.

Igitur fuit imaginaria et symbolica hæc visio, a Deo immixta Prophete, ut per eam rex Achab intelligeret et se decipi a suis pseudopropheticis victoriam promittentibus, idque fieri Deo permittere et disponente ad justam ejus castigationem et interitum. Accommodat enim Deus se summe quoque oraculum Achab regis captivi et conceptivi. Ita Serarius, Sanchez et alii.

20. ET AIT DOMINUS: QUIS DECIPLET ACHAB? — Illa Dei inquisitio præter demerita et scelera Achab, quibus meruit decipi et perire, duo significat: Primum, quod decipere alienum est a Deo. Unde Deus illud hic inquit quasi idipsum non habeat in se, nec inter divina illud reperitur; sed in actu demonum, qui hic inter se agitabant consilium de modo decipiendi Achab: unde Deus eos in hac visione interrogans inducitur, *q. d.* Quis ex vobis, o demones, decipiet Achab? scio enim vos hac de re agitare consilium.

Posterior, quod ipsum decipere demonum fuerit exacte cognitum et ordinatum a Deo ad Achab punitionem; Deus enim volebat punire Achab, ideoque permisit eum consulere demonem per suos pseudoprophetas, ac demoni permisit mentiri et decipere Achab, promittendo victoriam in prælio, quo ipse erat occidendus. Ita S. Augustinus, *Quest.* XLIV in lib. *Judicum*. Unde Theodoretus et Procopius docent hic significari divinam voluntatem fuisse ausam exiti Achab; hæc enim voluit Achab impietatem punire, ideoque nonnulla ejus peccata, quæ tamen libere sunt, permisit, nimirum ut consuleret suos magos, eisque crederet, itaque deciperetur et periret. Hæc duo, ait Cajetanus, significat ista Dei inquisitio. Nam alioqui Deus proprie nihil inquit, cum omnia perfecte percipiat et sciat. Loquitur ergo hic Scriptura anthropopathè, sive humano more, quia homines

in re dubia et futura inquirant et consultant de modo congruo rei peragenda.

ET DIXIT UNUS VERBA HUIUSCEMODI, ET ALIUS ALTER. — Varii modi decipiendi Achab ab adstantibus non tam Angelis, quam demonibus in symbolica hac visione Deo suggesti narratur, qui in particulari non recensentur, quia isti uti noluit Deus. In genere tamen referuntur, ut pateat omnes modos decipiendi a Deo esse cogitos, et in promptu ad manum, ut iis exsequatur decretum suæ providentiæ, et vindictæ de occidendo impio Achab. Ita Cajetanus.

21. EGRESSUS EST AUTEM SPIRITUS. — *q. d.* Obvolutus Domino ad decipiendum Achab diabolus quispiam; hujus enim officium est mentiri et decipere: hujus enim facere nequeunt Angeli boni, ideoque veraces et fideles. « Quæ enim, ut ait S. Gregorius, lib. II *Moral.* xvi, fas est credere bonum spiritum fallaciæ deserve voluisse, ut diceret: Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, sed quia Achab ex precedentibus peccatis dignus erat, ut tali debuisset deceptione damnari, quatenus qui sepe volens occiderat in culpam, quandoque volens caperetur ad penam. Oculis iustitia licentia malignis spiritibus datur, ut quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati ponam etiam volentes trahant. Idem docet S. Augustinus, lib. LXXXIII, *Quest.* IV, art. 53.

22. EGREDIAR, ET ERO SPIRITUS MENDAX IN ORE OMNIUM PROPHETARUM EJUS. — *q. d.* Sugeram mendaciam et mendax promissum omnibus pseudopropheticis Achab, ut illi uno ore regi promittant victoriam in prælio, cum ipse in eodem sit necandus. Porro Philastrius, lib. *De Hæresibus*, hæresi de Pythonissa, hæc addit, incertum unde: « Et ait immundus spiritus ad Dominum: Faciam me quasi Angelum lucis, et verba similia eloquar, et ducam eum in prælium, et ibi eum deseram, et sic morietur. Et ait Dominus: Vade, sic facies. » Rursus S. Epiphanius, *hæresi* 25: « Spiritus, inquit, erroris est velut flatus in tibia, diversis modis unumquemque stolidum concitans adversus veritatem; nam et ipsa tibia imitamentum est draconis, per quem locutus est diabolus et decipit Evam. »

ET DIXIT DOMINUS: DECIPIES, ET PRÆVALERIS; EGREDERE, ET FAC ITA. — Verba sunt Dei non jubentis, sed permittentis diabolo parato decipere, ut decipiat Achab. Sic Christus ait Judæ: « Quod facis fac citius, » *Joan.* cap. xiii, 27, id est permittit ut illico me prodas.

23. NUNC IGITUR ECCE DEDIT DOMINUS SPIRITUM MENDACI IN ORE OMNIUM PROPHETARUM TUORUM. — « Dedit » laxando demoni habenas, non impediendo, sed volenti decipere permittendo deceptionem. Demon enim neminem decipere vel tentare potest, nisi positive id ei permittat Deus. Quare sicut qui leonem fune ligatum manu tenet, si funem laxet, ut leo aliquem invadat et occidat,

dicitur is qui funem laxavit eum occidisse, sic et Deus dicitur « dare spiritum mendacii, » cum funem laxet dialolo eique paratissimo ad mendacium permittit ut mendat et decipiat. Hæc enim phrasibus significat Scriptura altissimam Dei providentiam ita sua manu continere omnium hominum voluntates, tam malorum quam bonorum, ut nihil omnino velle aut agere possint, nisi quod Deus permiserit.

24. PERCUSSIT MICHEAM IN MAXILLAM. — quæ ignominiosa et probrosa est percussio, ut dixi *Taren.* III, 30.

25. VISURUS ES IN DIE ILLA, QUANDO INGREDIERIS CURRICULUM INTRA CUBICULUM (id est intimum, obstruissimum cubiculum, quoniam non invenies locum in quo possis esse tutus a metu Syrorum hostium) UT ABSCONDARIS.

27. SUSTENTATE EUM PANE TRIBULATIONIS, ET AQUA ANGSTIÆ. — vel afflictionis, Vatablus, *quævis afflictio dicitur solæ, q. d.* Sustentate eum exiguo pane, et exigua aqua. Chaldaeus, *pane qui erit in afflictione*, id est non ad saturitatem, sed ad necessitatem tantum, ut vivere possit, nec fame vel siti moriatur.

28. AUDITE, POPULI OMNES. — hoc meum oraculum illudque notate, ut cum illud vere evenire videritis, me verum prænuississe fateamini.

30. DIXIT ITAQUE REX ISRAEL AD JOSAPHAT, etc.: INDURE VESTIBUS TUIS, — regis et solitis quasi belli dux, ut animos militibus addas ad fortiliter pugmandum.

PORRO REX ISRAEL (Achab) MUTAVIT HABITUM SUUM, — ac deposito regio induit plebeum gregarii militis. Fecit hoc Achab non ad honorandum Josaphat, quasi ipse esset imperator et belli dux (esto id ipse coram Josaphat simularet), sed ex terrore prophetie Michæ. Esto enim non plane crederet eum vera dicere, scilicet se occidendum in prælio; tamen idipsum timuit, præsertim accedente præcepto regis Syriæ, quo jusserat ut omnes sui in unum Achab arma converterent. Hoc enim præceptum videtur ei innovasse. Porro Josaphat addit id eum fecisse ut facilius et certius prophetiam Michæ eluderet, et falsam fuisse ostenderet, cum mutato habitu, et in ultimo agmine positus, procul esset a gladiis et ictibus hostium, ut nihil ei de vulnere et morte metuendum videretur.

31. 34. NON PUGNABITIS, etc., NISI CONTRA REGEM ISRAEL SOLEM, — puta contra Achab, ut eum solum occidatis vel capiat; ille enim est fax belli. Josaphat enim sequitur eum ut comes ducem. Quare illo sublato, auferetur omne bellum. Rursus, jussit hoc rex Syriæ instinctu Dei, ut videtur, volentis Achab impium punire et frucidare. Unde Joëb vs addit solum Achab in prælio occubuisse, idque prædixisse Michæam.

34. VIR AUTEM QUIDAM TETENDIT ARCUM, IN INCERTUM SAGITTAM DIRIGENS, ET CASU PERCUSSIT REGEM ISRAEL. — Fuit hic casus fortuitus respectu militis

Syri sagittam ex arcu jacentis, ac respectu Dei non fuit casus, sed destinatus ictus: Deus enim per Angelos direxit hanc sagittam, ut non aliuq feriret, quam impium Achab. Sic Julianus Apostata, quasi novus Achab, idolorum cultum restituens, cœlesti telo, ait Nazianzenus, orat. 1 *in Julianum*, in bello Persico ictus occubuit anno Domini 363, nimirum a S. Mercurio Martyre confosus, ut ex Helladio docet Damasoenus, orat. 1 *De Imagin.*, Nicephorus, libro X, cap. xxxv, et alii; ideoque fremens et frendens manum sanguine suo implens, eumque in aërem jaciens: « Violisti, inquit, Galilee » (ita ipse Christum per contemptum vocabat), teste Theodoro, lib. III, cap. xx. Porro occisus est Julianus eodem die, quo ipso anno præcedente SS. Joannem et Paulum S. Constantie Constantini Magni filie primicerios occiderat, et martyrio coronat, nimirum die 26 Junii, uti solenter advertit Baronius.

INTER PULMONEM ET STOMACHUM. — Hebraice דַּרְסֵי בֵּין דְּבָקִים בֵּין רַבְּבִים *ben debakim uben hassirion*, quod Rabbinii vertunt, *inter juncturas et thoracem*; Chaldaeus, *inter juncturas loricæ*; Noster, II *Paralip.* XVIII, 33, vertit, *inter cervicem et scapulas*. Utrumque verum est, ait Abulensis; nam sagitta hæc adunca intravit inter cervicem et scapulas Achab, exiit vero inter stomachum et pulmonem ejusdem: hic ergo sagittæ exitus, in *Paralip.* vero ejusdem ingressus narratur.

38. ET LAYERUNT CURRUM EJUS IN PISCINA SAMARIE (perperam Josephus habet: *Jezare vel Jezael*), ET LINXERUNT CANES SANGUINEM EJUS, ET HABENAS LAYERUNT, JUXTA VERBUM DOMINI. — *Pro habenas*, Hebraice est זִמְתָּה *zomoth*, quod Septuaginta et Josephus vertunt, *meretrices*. *Meretrices*, inquit, *tota sunt in sanguine ejus*. Josephus vero, *Meretrices post hoc ex eo fonte aquabantur*, quia istæ « noctem flumine purgant, dum mane se lavant, » ait ex Procopio et Theodoro Serarius. Chaldaei et Rabbinii vertunt *arma*, adduntque hæc relata esse in armamentarium, quod erat in Jezrael; ibique canes sanguinem iis inherenter linxisse, itaque ad amissum impletum esse Eliæ oraculum.

Verum Noster optime vertit, « habenas. » Agitur enim hic de curru, ejusque habenis sanguine Achab cruentatis, ideoque lotis in piscina Samariæ; unde canes ibidem eum linxisse. Atque si impleta est propheta Eliæ non per omnia, sed ex parte; quoad omnia vero impleta est in cœde Ochozia filii Achab, ut dixi cap. xxi, vers. 19.

39. DOMUS EBURNEÆ. — Quomodo domus fiant ex ebore dixi *Amos* III, ad illa: « Peribunt domus eburneæ. »

42. NOMEN MATRIS EJUS AZURA. — in libris Regum nominatur crebro eorum mater, quia a matre pendet educatio prolium, vel in bonum, vel in malum; et qualis est mater, talis est proles. Ita Spartani fortes fuerunt in bellis et laboribus, quia matres habebant, quæ ex instructione Lycurgi, laboribus et duritiis se, et proles assuefa-

diebant. Unde Gorgon Leonide uxor dicenti sibi cuidam: « Vos solae Spartane vestris viris imperatis, » respondit: « Quia solae etiam viros parimus. » Ita Mutarebes in *Aspithlog*. Clarius exemplum est in S. Wenceslao duce Bohemia, ejusque fratre Boleslao; ille enim a pia avia Ludmilla pie educatus, pius et sanctus effectus est: hic ab impii matre Dabronucia impii enutritus, impii et fraticida evasit: nam, ut regnum occuparet, S. Wenceslao occidit, sed Martyrem effecit, uti habet Vita S. Wenceslai, quam ex Aenea Sylvio recenset Surius die 28 septembris. Hoc est quod ait Apostolus: « Quod si delibatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami, » *Rom. xi, 16*. Sic Machabea, S. Symphorosa, S. Felicitas, tres inquam matres et heroinae, septem filiis suis fuerunt duces ad martyrium.

VER. 44. 44. VERUMTAMEN EXCELSA NON ABSTULIT. — Dices: Il *Paralip.* cap. xvii, vers. 6, dicitur ea abstulisse. Respondeo: Non abstulit ea initio regni, ne seditionem populi contra se concitaret; sed in progressu, cum sat regnum suum firmasset. Unde in *Paralip.* additur: « cum sumpsisset audaciam. » Aut abstulit ea, sed non ita, quin rursus succurrerent ex nimia populi ad illa propensione, ut insinuat *Paralip.* cap. xx, vers. 33. Denique Lyraus et alii respondent Josaphat sustulisse « excelsa » idolis erecta, permisisse vero excelsa Deo vero dicata. Haec responsio uti planior, ita verior est. Nam cum Scriptura dixisset Il *Paralip.* cap. xvii, vers. 6, Josaphat sustulisse « excelsa et lucos, » scilicet idololatricos, postea cap. xx, 33, subjicit: « Verumtamen excelsa, » scilicet Deo vero dicata, sed ab eo velita, « non abstulit. »

VER. 46. 46. RELIQUA AUTEM VERBORUM (id est rerum et factorum; est metonymia in hisce libris frequens) JOSAPHAT, etc., NONNE HEC SCRIPTA SUNT IN LIBRO VERBORUM DIERTUM REGUM JUDA? — Nimirum in *Chronicis* et *Diariis* in quibus *verba*, id est gesta regum Juda per singulos dies descripta erant.

Plurima enim heroica facta Josaphat hic brevitate studio subdicuntur, e quibus nonnulla recensentur Il *Paralip.* cap. xvii, vers. 2, ubi celebratur zelus Josaphat in cultu Dei propagando, et in erudiendo populo, ideoque gloria illi in premium a Deo retributa. Rursus eodem libro, cap. xix, narratur quod ipse in Juda reformavit tribunalia, ac iudices constituerit Levitas, aliosque viros pios et incorruptos. Ad haec cap. xx recensetur insignis victoria, quam ipse sua pietate et prece a Deo contra Ammon et Moab obtinuit, ubi inter alia vers. 12, orans ait: « In nobis quidem non

est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere quae irruit super nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habebimus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. » Quocirca Deus suscitavit prophetam Jahaziel, qui ait vers. 17: « Confidenter stete, et videbitis auxilium Domini super vos. » Fides ergo ipse castra praecessit, sed ita ut praemitteret cantores Deum laudantes et concinentes: « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in aeternum misericordia ejus. » Cumque hi coepissent canere, Deus hostium insidias convertit in ipsosmet, ut se invicem invaderent et mutua se cedere truncarent. Unde ad unum omnes perierunt, ac supervenit Josaphat cum suis ad spolia eis detrahenda.

48. NEC ERAT TUNC REX CONSTITUTUS IN EDOM. — *Ver. 48.* quia Idumaea subacta a Davide regebatur ab ejus Praefectis; sed mox, sub Joram filio Josaphat, « recessit Edom, ne esset sub Juda; et constituit sibi regem, » ut dicitur *IV Reg. viii, 20*.

49. QUAE NAVIGARENT IN OPHIR. — Ubi sit Ophir *Ver. 41.* dixi cap. ix, vers. 28.

CONTRACTAE SUNT IN ASHONGABER. — quia federatae et junctae erant classi impii regis Israel, nimirum Ochosiae filii Achab, ut dicitur Il *Paralip. xx, 37*. Unde Ochozias, videns naves suas contractas, petit a Josaphat ut sui servi irent cum servis Josaphat in ejus navibus; sed id noluit Josaphat, ut sequitur; nimirum quia timebat eandem vel pejorem Dei vindictam ob societatem cum impio Ochozia.

51. DORMIVITQUE JOSAPHAT CUM PATRIBUS SUIS, ET SEPULTUS EST CUM EIS IN CIVITATE DAVID. — *Ver. 51.* pulvis Sion; mausoleum tamen ipsi erectum est in valle, quae inde dicta est *Josaphat*; quae sita est inter Jerusalem et montem Oliveti, ubi fiet iudicium universale, uti ex Beda et aliis dixi, *Joel. iii, 2*.

Hic finitur liber tertius Regum, qui complectitur historiam regum Juda per annos 126. Salomon enim regnavit annis 40, Roboam 17, Abia 3, Asa 41, Josaphat 25; inunge hos omnes, habebis annos 126.

Denique quoad synchronismum historiae Gentilium, haec tradit Eusebius in *Chron.*, Genebrardus, Sallianus et alii. Tempore Josaphat imperavit in Israel Achab et Ochozias illius filius, in Assyria Orphratanes, in Laedemone Archelaus, Athenis Mechades, Corinthi Agelas; apud Latinos Capellus Sylvius, et Tiberinus Sylvius, qui fluvio Tibri nomen dedit, cum prius vocaretur Abula; et Agrippa Sylvius; in Aegypto Nupher, Cheras, Amenophis, Osochor, Spinacos.

FINIS.

INDEX

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

QUAE IN LIBRIS JOSUE, JUDICUM, RUTH, ET IN LIBRIS I. II. III REGUM EXPLICANTUR.

Prior numerus paginam, secundus columnam designat: ubi unus est, ad proximam nominatam paginam signum esto.

EX VETERE TESTAMENTO.

EX GENESI.		
<i>Cap. xviii, vers. 29.</i> Esto dominus frater tuorum, et incurventur ante te filii matris tuae,	469, 1.	
<i>xxviii, 10.</i> Vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei,	427, 2.	
<i>xlvi, 10.</i> Non auferetur sceptrum de Juda,	337, 1.	
—, 15. Vidi requiem quod esset bona	97, 1.	
EX EXODO.		
<i>Cap. xii, vers. 40.</i> Habitatio filiorum Israel in Aegypto fuit quadringentorum triginta annorum,	111, 4.	
EX LEVITICO.		
<i>Cap. xix, vers. 14.</i> Non maledices surdo, sed timebis Dominum Deum tuum,	25, 1.	
EX DEUTERONOMIO.		
<i>Cap. xxxiii, vers. 18.</i> Et Issachar in tabernaculis tuis; et vers. 19. Populus vocabunt ad montem,	115, 2.	
EX LIBRO JUDICUM.		
<i>Cap. xi, vers. 3.</i> Congregatique sunt ad eum (Jephthe) viri inopes et latrocinantés,	158, 2.	
EX LIBRO RUTH.		
<i>Cap. iii, vers. 9.</i> Expande pallium tuum super famulam tuam,	660, 2.	
EX LIBRO III REGUM.		
<i>Cap. iv, vers. 5.</i> Zabab filius Nathan sacerdos, amicus regis,	470, 1.	
<i>xi, 1.</i> Rex Salomon amavit mulieres alienigenas, et filiam Pharaonis,	12, 1.	
EX LIBRO I PARALIPOMENON.		
<i>Cap. xv, vers. 20.</i> In nabis arcana cantabant; et vers. 21. In citharis pro octava canebant epinicion; et vers. 22. Chonenias autem princeps Levitarum propheticè praeerat; et vers. 26. Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant arcam federis Domini, immolabantur septem tauri et septem arietes,	456, 2.	
<i>xvii, 18.</i> Quid ultra addere potest David, cum ita glorificaveris servum tuum et cognoveris eum,	464, 2 et 465, 1.	
<i>xx, 18.</i> Et interfecit David de Syris septem millia currum, et quadraginta millia equitum,	473, 2.	
<i>Cap. xx, 1.</i> Percussit Joab Babbe,	485, 2.	
—, vers. 2. Tulit David coronam Melchom de capite ejus, et invenit in ea auri pondus talentum, et pretiosissimas gemmas, fectique inde sibi diadema,	486, 1; 2.	
<i>xxi, 5.</i> Omnis numerus Israel, mille milia et centum milia virorum,	534, 2.	
<i>xxix, 24.</i> Sed et universi principes, et potentes, et filii regis David dederunt manum, et subjecti fuerunt Salomoni regi,	584, 2.	
EX LIBRO II PARALIPOMENON.		
<i>Cap. ii, vers. 8.</i> Igna arceuthina,	560, 2.	
—, 13. Hiram patrem meum,	593, 1.	
<i>iii, 3.</i> Longitudinis cubites in mensura prima sexaginta,	574, 2.	
—, 4. Porro altitudo centum viginti cubitorum erat, <i>ibid.</i>		
—, 16. Nec non et quasi catenulas in oraculo,	587, 1.	
<i>iv, 5.</i> Capiebaturque (mare) tria millia metrestas,	590, 2.	
<i>vi, 41 et 42.</i> Nunc igitur consurge, Domine Deus, in requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuae; Sacerdotes tui, Domine Deus, induantur salutem. Domine Deus, ne avertis faciem Christi tui: memento misericordiarum David servitui,	599, 1.	
<i>xiii, 2.</i> Nomenque matris ejus Michai, filia Uriel de Gabaa,	495, 2.	
EX LIBRO JOB.		
<i>Cap. vii, vers. 5.</i> Induta est caro mea putredine,	133, 2.	
<i>xxii, 26.</i> Si vidi solem cum fulgeret, et lunam incendentem clare, et letatum est in abscondito cor meum: et osculatus sum manum meam ore meo,	660, 1.	
<i>xxiv, 30.</i> Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi,	616, 1.	
EX LIBRO PSALMORUM.		
<i>Psal. vi, vers. 1.</i> In finem in carminibus, Psalmus David pro octava,	456, 2.	
—, 7. Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo,	483, 1.	
<i>xi, 1.</i> In finem pro octava, Psalmus David,	456, 2.	
<i>xvii, 1.</i> Eripuit eum de manibus hostium et de manu Saul,	12, 1.	
—, 10. Moab olla spei mee,	468, 1.	
<i>lxv, 10.</i> In Idumeam extendam calcamentum meum,	469, 1.	
<i>lxxi, 10.</i> Reges Arabum et Saba dona adducent,	604, 1.	
<i>lxxviii, 5.</i> In aeternum preparabo semen tuum,	537, 2.	